

† R. P. Hadrianus Simón.

(*Prov. Hispan.*).

† R. P. Hadrianus Simón.

(*Prov. Hispan.*).

Die 6 septembris anni 1888 in pago Carbellino de Sayago provinciae Zamorae in Hispania natus est R. P. Hadrianus Simón, quem amissum non sola provincia Hispanica, cui hac morte damnum illatum est irreparabile, sed Congregatio tota dolet vehementer. Tredecim annorum puer, cum in studium linguae latinae sub praceptoris cuiusdam disciplina in pago suo incubuisset, occasione in missione sibi oblata iuvenatum Spinensem ingressus est, in quo egregie profecit. Die Nativitatis B. Mariae V. in domo Navae Regis, cum noviciatus annum piissime transegisset, die 8 septembris a. 1907 vota religiosa nuncupavit et statim studiorum altiorum causa Asturicam petiit, ubi die 29 decembris a. 1912 presbyter ordinatus est.

Cum superiores ingenii eius dotes aequae ac in studiis assiduitatem simulque spiritus religiosi fervorem perspicerent, finito studiorum curriculo usitato a. 1913 Romam missus est, ut in Pontificio Instituto Biblico doctrinae de sacra scriptura penitus haurienda operam daret. Director professoresque nobilissimae huius scholae optimi ei progressus in doctrinam augusta facti testes sunt.

Interea anno 1914 immani bello exorto necesse fuit alumnos scholae maioris in proprias provincias remittere. Tum P. Simón Asturicae in stu-



dentatu provinciae s. scripturae explicandae operam dedit, quem laborem usque ad annum 1921 cum optimo successu prosecutus est. Ibi etiam opus aggressus est, quod studiorum simul et lectionum fructus esset, conscribendas scilicet *Praelectiones biblicas in usum scholarum*. Ac primum quidem a Novo Testamento incepit, cuius volumen prius anno 1920 in lucem edidit, quo introductio et commentarius in quattuor Evangelia continentur. Opus a peritis statim magna cum laude exceptum est, cuius rei testis est altera huius voluminis editio valde aucta et emendata quam anno 1924 sumptibus clarissimae officinae Mariettianae edi oportuit.

Interea enim P. Simón huius praesertim operis continuandi omnibusque modis et adiumentis, quae Romae ditissima inveniuntur, provehendi gratia a superioribus iterum in almam urbem missus est, ubi in collegio maiore S. Alphonsi ex decreto ultimi capituli generalis instaurato directoris socium egit, tam Patribus communitatis, quam alumnis collegii maioris acceptissimus. Ibi alterum Novi Testamenti volumen in Hispania inceptum ad finem perduxit, quod a. 1922 Matriti prodiit, alteram prioris voluminis editionem adornavit et ad introductionem generalem ac Vetus Testamentum materiam colligere coepit.

Antequam in provinciam Hispanicam rediret, Nuceriae Paganorum ad S. P. N. Alphonsi tumulum exercitiis spiritualibus decem dierum cavare voluit. Quae cum magna spiritus consolatione peregisset, mense aprilis 1924 Hispaniam revertit ac domui studiorum Asturicensi iterum adscriptus est. Ibi novo et indefesso fervore studiis biblicis se dedit. Sed notatu dignum est P. Simón, ut verum S. Alphonsi filium decet, zelo semper animarum incensum fuisse et tam in contionibus habendis quam in fidelium confessionibus audiendis requiem a studiis quaesivisse. Homines eruditi ob famam eius ubique sparsam magni eum fecerunt, fideles tam in civitatibus quam ruri ob eius dicendi rationem plenam eloquentia apostolica simplicitatemque, qua omnes alliciebat, eum dilexerunt. De ultima eius ad populum contione, quam die Nativitatis festo in oppido quodam prope Asturicam sito (*Val de San Lorenzo*) habuit, loquens quidam, qui astiterat, dixit: «O quantum flevimus eum audientes».

Tricesimum sextum aetatis annum nondum compleverat, cum eum iam Pater familias caelestis paratum esse censuit, quem in domum suam vocaret. Voluminibus iam editis fama eius in dies crevit. Undecumque «*Praelectiones biblicaæ*» avide quaerebantur; ut opus perficeret, permulti unduque hortabantur. Sed Deus aliter disposuerat opusque nondum perfectum a scriptore relinquì voluit.

Sub finem mensis augusti P. Simón, quamquam quinque dies recessus anni hebdomade maiore iam peregerat, voluit tamen communibus exercitiis interesse, quae in domo Navae Regis sub magistri noviorum disciplina habebantur. Septem et viginti Patres cum Pl. R. P. Provinciali

aliisque in provincia superioribus ibi congregati erant. Decem illi sanctissimi dies (verbis P. Simón utimur) vere praeparatio optima fuerunt, qua a mundo magis etiam avulsus mortem caram sibi exspectatamque salutaret.

Die 17 septembbris febre correptus est, quae in dies magis crevit, ita ut die 23 septembbris de vita eius desperaretur. Quid P. Simón de morte senserit, verbis prodiit, quae professus est, cum morbus eius nondum a medicis gravis haberetur: «Forsitan Deus me vocare velit et haec infirmitatis initia monita sint, ut sim paratus. Ego autem non contradico. Si Dominus me vivere vult, vivendo adimplebo eius voluntatem; si vero Dei voluntas est, ut moriar, paratum est cor meum. Mors mihi sacrificium non est».

Cum iam Sanctissimum Viaticum accepisset, tribus diebus ante mortem confratres astantes sic allocutus est: «O vos miseros, qui in mundo manetis. Ego in caelum, ad maiora ascendo». Cum quidam de eius opere loquens necesse esse diceret, ut «Praelectionum biblicalarum» perficiendarum causa convalesceret, P. Simón respondit: «Opus sanctificationis adhuc ne inceptum quidem est, et quod peius est, numquam illud serio aggredimur». Et cum alter de speranda adhuc valetudine loqueretur, ipse sermonem direxit dicens: «Nequaquam, nequaquam! caelum petere cupio».

Antequam SS. Viaticum sumeret, humillime a Pl. R. P. Provinciali, qui visitationis causa tunc Asturicae erat, omniibusque Patribus et Fratribus veniam petivit, si cui malo umquam exemplo fuisse. Deinde vota religiosa renovavit et pro iuramenti perseverantiae renovatione librum evangeliorum sibi porrigi petivit illudque tetigit et osculatus est.

Quamvis, cum de re terrena sermo erat, sensibus destitutus esse videretur, plenum ad res spirituales mentis usum retinebat amoris actus precesque iaculatorias proferens, in pios erga Beatam Virginem affectus erumpens et verba S. Scripturae ad sensa sua promenda aptissime adhibens. Ita suspirans audiebatur: «Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam», vel «In manus tuas, Domine, commendō spiritum meum» et «Mater mea, Maria, in te omnem spem meam pono». Salutationem angelicam repetens, cum ultima verba diceret, adiebat: «... nūnc et in hora mortis: idem est pro me».

Tandem omnibus sacramentis auxiliisque S. Ecclesiae munitus sabbato, die 27 septembbris facta a P. Provinciali animae commendatione hora matutina decima cum quadrante placidissime animam Deo reddidit.

Funus eius praeter ingentem populi multitudinem omnes fere cleri Asturicensis saecularis et regularis sacerdotes et pars magna alumnorum seminarii diocesani secuti sunt. R. i. p.!